

interdum repetit, ne oblivioni tradantur, quæ alibi jam sunt audita. Quintus, quos alibi Versibus memorialibus assefecit, ad Ovidii castiores & faciliores Elegias deducit. Cæterum Con-Rector, si discesserit à Primitiis Theologicis, quas adhuc è Compendio Hutteriano petimus, Stylum & Oratoriam seriò urget; Tertius Auctoris lectionem (hactenus placuit Cornelius Nepos) Principia Logica, quin & Exercitia Poëtica proponit. Uterq; sub finem Septimanæ Græcis literis manum admovet.

Prima Classis sæpissimè videt Rectorem. Con-Rector tamen certis horis Scriptorem Latinum prælegit (imposterum placebit Justinus) ac imprimis id agit, ne Græcarum & Hebraicarum literarum amor prorsus intercidat: quem in finem selectiores probatorum Auctorum sententias discipulis communicabit, ne unius Scripti tædiosa lectio, rem seculi fastidio laborantem, reddat minus gratam. Tertius Poëtica curare jussus est, qui cum hactenus Virgilium senserit nimis diffusum, quò minus intra breves horarum angustias coarctari queat, selectiora aliorum Poëtarum carmina, quovis genere concinnata, sic aggredietur, ut singulis mensibus novum exemplum, novam auditorum excitet diligentiam, eorundemq; promptiorem imitationem. Cæterum Rectoris præcipuum munus est, dispicere de fundamentis Theologicis, cum Stylo excolere Oratoria, Logicam deniq; docentem & utentem explicare. In Theologicis sequimur Hutteri Compendium, quod variis artificiis sic perlustratur, ut unus Cursus ultra menses octodecim non excedat, possitq; adeo sacrarum literarum cupidus brevi spatio divinæ hujus disciplinæ systema certis velut lineis designatum contueri. Styli & Oratoriæ primaria arcana hactenus è Mureti Orationibus innotuerunt: nunc ubi lucem adspexit Elucidari<sup>9</sup> Oratoris Politici, Librum XIII. Epistolarum Ciceronis *Ad Fam.* placuit attingere, ut cum Latinismorum & dispositionum observantia, Exemplorum maxime Politicorum & in vitâ civili conspicuorum imitatio constet. Logicæ Doctrinæ tyronibus & provectioribus accommodatur: nam continuo examine, theses interpretari, easdem probare & illustrare, quin & disputando ventilare jubentur, nequa pars Eloquentiæ eruditæ maneat in obscuro. Adduntur aliquæ distinctiones Metaphysicæ, quod Lexici Philosophici hæc lacinia, ad disciplinam instrumentalem, & ad modum sciendi maximè pertinet. Horis pomeridianis, Juvenalis, Senecæ Tragici, Claudiani, Martialis aliorumq; varios flosculos sparsimus: nunc arrisit Seneca Philosoph<sup>9</sup>, cujus selectiores gnomæ, quoad sensum, dispositionem & imitationem examinatæ, versiculis germanicis redduntur, ut in tempore appareat, quibus realium ornamentis florere debeant Carmina. Horæ Extraordinariæ conceduntur utriusq; Oratoriæ, Ecclesiasticæ & Politicæ Studiosis. Quicquid autem Geographicorum, Genealogicorum, Chronologicorum & Historicorum est Studiorum; quicquid in Physicis, Ethicis & Politicis  
ita